

DIALOGUS XIX.

Alia præconia, & Icones Jovis.

PUBLIUS.

ELegans Numi quarti fabrica pellicit me, ut, si permiseris mihi, tentem nonnihil in eo exponendo ingenium meum: cui forsitan exerranti tu facile parces. In Jove sumus, &, ni epigraphe me fallat, quam *KPHTON* lego, *Cretamque* intelligo, putem hic adstare *Rheam*, sive *Cybelen* turritam, filiumque *Jovem* infantulum, ad eam brachiola tendentem, sinistra gestare. Infra Cornu *Amaltheæ* intueor, quæ illi exinde in Antro *Dicteo* lac caprinum propinavit. *Aquila*, *Jovis* fidißima comes, addita videtur, ne alium, nisi *Jovem* puerum cogitare hic liceat. *TULL.* Belle cuncta: nec aliter *Celeberr. Montfoconius*, qui hunc Numum e *Seguini* selectis Numis excepit. Quid porro in *Adversa* mediæ formæ hic Numus redhibeat, ipse non dixit.

I.
Tab. IV.
N. IV.

Part. I.
Tab VIII.
n. 2.

Exstat vero ibidem & alter Numus *Æris* maximi, e *Trifano* pictus, qui est quintus hujus Tabulæ mex. *PUBL.* Denuo *Jupiter puer*, capræ, vel hirco insidens, hic mihi ludere, atque joculari videtur: quem & epigraphe prodit: *JOVI CRESCENTI*. Aliud quidem vix cogitem. *TULL.* *Harduino* mens alia fuit. Percensentur similes Numi ab *Argelato*, cum capitibus *Gallieni*, item *Salonini* filii, & *Valeriani* fratris ejus, *Caesarum*, quorum *Juventuti* conservandæ patrocinium *Jovis* pueri, cum elogio *Crescentis*, citra dubium his Numis imploratum est. Ipse vero pinxit *Æris* maximi Numum, cum capite *Antonini Pii*: ubi ante *Puerum* equitantem stat *Aquila*, & *Laurus* excrefcit, nulla epigraphe addita. Hic ille cogitavit *Antoninum* ægrotantem, voluitque hac imagine intelligi, Imperatorem, ad similitudinem

·II

Tab. IV.
N. V.

In *Plin.*
suo Tom.
II. ad pag.
464.

Jovis, lacte caprino nutritum fuisse. Aquila enim, ait, Imperatorem denotat: Laurus domum Caesaris.

III.
Tom. II.
ad Col.
373.

Rursum in alio Numo magno *Commodi* laureati, ubi stat Jupiter cum fulmine, & hasta, item Aquila pone pedes, legiturque: JOVI JUVENI: inquit Vir idem clarissimus, olim se cum aliis dixisse, *Commodum* Imp. hic *Jovem Juvenem*, ut alibi *Herculem Romanum*, appellari. Quia vero Augustus iste, dum signatus est hic Numus, jam fuerat annorum triginta quinque, & vultu suo probe barbato languorem praefere videtur: quo supremis vitae annis eum laborasse, ex aliorum Numorum lineis colligere liceat: rursum de cura Medica cogitat, epigraphen dissolutam sic legens. JO. vi V. tali I. n VI. aetudine V. iperarum E. su N. utrienti I. mperatorem. Subdit porro: *Jupiter Vitalis* est Natura, vitae nutritrix, & alitrix, restitutrixque Juventutis. De viperis *Aldrovandus*: , Nostra aetate in Italia caro *Viperina* non in epularum, lautitiis adhibetur, sed ob ritam longitudinem.

IV.

PUBL. Certe singularis, ac plane peregrina hoc utroque in Numo apparet mihi Viri magni opinio: in quam post ipsum ire haud statim omnibus libeat. *Aesculapio* depicto si medicamina haec tribuisset, non adeo mirarer. Minus extra rhombum saltare me crederem, ita legendo: J. ove O. pitulante U. t I. mperator J. uventute V. egeta V. alcat V. ota E. di N. ova I. ndi- elum: vel: V. ota E. di N. arbonenses I. ndixerunt. Tutissimum reor literam, ubi plana est, sequi: e quo constabit, nihil tam vile Romanis fuisse, a quo postulato, vel impetrato, suis Numinibus Praeconia, & Nomina nova non caperent. Idem de Numo sexto existimo, in quo adstat Jupiter barbatus, ac nudus cum hasta, ad Aram ardentem patera libans, cum epigrapha: JOVIS CUSTOS. Peregrinum hic quidem, *Jovis* pro *Jupiter*, Poëtis vero non insolitum.

Tab. IV.
N. VI.

V.

TULL. Edidit hunc Numum *Vicus Argent. Vespasiani* 24to. Aliter vero *Argent. Neronis* 3. & *Auro* 5. to. Ibi namque sedet Jupiter in sella reclini, hastam laeva, dextra fulmen sustinens, fasciculo sagittarum consimile cum epigrapha: JUPITER CUSTOS. Non meminit horum Numorum *Cl. Harduinus*: alium autem *Gordiani Pii* ad limam vocat, ubi stat Jupiter cum hasta, & fulmine, addito elogio: JOVIS STATOR. Cave, subjungit,

In Plin.
I. Col.
101.

git, ne credas, aut *Jovis* in recto casu hic dici pro Jupiter, aut Jovem Statorem depingi: qui, ubi comparet, *Jovi Statori* adscribitur. Legendum itaque: JOV. e I. imperii S. ervatore STATOR. iens. Jam audisti Dial. priori n. VII. eum sic pariter dissolvisse epigraphen *Jovis Anxur*, quia vocem *Jovis* nominativo casu tolerare non poterat. Interim lexicographi, Priscianus, Brissolinus, Henr. Stephanus attestantur, olim *Jovis* pro *Jupiter* non ab uno solum Veterum Scriptorum, quorum Locos indicant, usurpatum fuisse: ut ab *Ennio*, a *Varrone*, ab *Apuleio*, ab *Ovidio*, a *Petronio* &c. Cecinit enim v. c. *Naso* Metam. IV. *Quem tremis ipse Jovis*, cum æque facile dixisset: *Quem Juppiter ipse tremis*. Deinde *Petronius Arbiter*, familiaris *Neronis*, Scriptorque purissimæ latinitalis, cap 47. Satyræ suæ ajebat: *Hoc solum vetare ne Jovis quidem potest*. Item cap. 58. *Tibi Jovis iratus est*.

Theaur.
L. Lat.
Rob. Ste-
phani vo-
ce *Jovis*.

PUBL. Cum ex his prope certum sit, Cl. *Harduinum* neque tui Numi epigraphen, JOVIS CUSTOS, admisisse; nosse cuperem, quomodo eam resolverit. Tu si mihi hoc laboris indixisses, ejus exemplo legissem: JOVI S. salutis CUSTO. di S. accurum: cum Ara Sacrificium innuat. Aut, si latius eviscerare has voces oporteret: J. upiter O. ptime V. espasianum I. mperatorem S. alvum C. usodi V. icthoriam S. ospiti T. ribue O. rientem S. ubjice: quo Judeam, & Hierosolymam ab eo expugnatam intelligerem. *TULL.* Vides ipsemet, quo demum hariolationes hujusmodi recidant, nimirum, ut intelligendo nihil intelligas.

VI.

PUBL. Septimus Numus elegans est, Jovemque cum fulmine, qui stantis ante se juvenis Imperatoris, orbem extenta manu gestantis, humero dextram imponit. Epigraphè: J. O. M. SPONSOR S. P. C. AUG. Hic ego non sapio. *TULL.* Inseruit hunc Numum Celeberr. *Monifoonius* cæteris, *Jovem* referentibus, Part. I. Tab. IX. n. II. dicitque *Commodi* esse, pro quo *Jupiter* spondere videatur, Imperium ab ipso digne administratum iri. Epigraphen non attingit: quæ, cum sensum se ipsa non reddat, absque nimix fiduciæ periculo divinationem exposcit. *Argelatus* hunc Numum semel, iterum, ac tertium laudat, sed cum Lemmatibus: JOVI OPTIMO MAXIMO SPONSORI REL. igitur AUG. usia. Vel J. O. M. SPONSOR. SEC. urizatis AUG. usia. Nisi proinde nostro in Numo, lapsu Monetarii,

VII.
Tab. IV.
N. VII.

vel Sculptoris , P. loco E. inter S. et C. positum fit, quod fere metuo, legendum certe reor : J. ovi O. primo M. aximo SPONSOR. i S. securitatis P. erpetua C. ommodi AUG. usli.

VIII.

PUBL. Non impari benignitate faventem *Jovem* prædicat Numus octavus, dum eum cum hasta stantem, fulmenque dextra simul gerentem, & pallium supra parvulum proxime adstantem, qui lauri vel oleæ ramum præfert, explicantem exhibet. Epigraphe : CONSERVAT. ori PATRIS PATRIAE. Perbellus hic typus quam optime mihi arridet, modo Clientem agnoscerem. *TULL.* *Traiani* hunc Numum denuo *Montsoconius* reddidit ex *Begero* : Part. I. Tab. IX. n. 11. Infit porro, hic æque *Trajanum*, ac alibi *Commodum*, & *Gordianum Pium*, in forma pueri adstare, ut hoc pacto intelligatur, Augustos, quamvis imperio præstantes, *Jovi* tamen collatos, non nilitenuos, & exiguos censendos esse. Forsitan tamen, quod libentius arbitrer, *Monetarii* exiguum potius Numi spatium, & ipsam quoque actionis exhibendæ naturam attenderunt, quorum neutrum justam Clientum sub pallio continendorum staturam admisisset, quam ut *Modestiam* illam cogitaverint.

IX.

PUBL. Est mihi Numus non unus variorum Imperatorum, bassi autem Imperii, parvæque formæ, cum *Jove*, & *Aquila* adstante, additoque elogio *Conservatoris Augusti* : quos vero proletarios reor, infimique scabelli. *Gallieni* apud me Numulus minimus *Bovem*, ornatum ferto, victimæ paratum habet, cum epigraphe : JOVI CONSERVATORI AUG. Magis autem, ac magis ex his Tabulis tuis intelligo, quantum in Re quoque Numaria distent *Æra Lupinis*. *TULL.* *Æra* illis dimitte, quibus est *Aurum* : tibi possidere Numos animo tantum non sedeat, quantum cupias, vel ex typis eorum amplius quotidie sapere. Grandis est egentiorum felicitas, in tot saltem præstantissimis Operibus Numariis vim tam immensam excellentium Numorum, Regum, Principumque Cimeliis conquisitorum, imagine redhiberi : quos cum nullo quasi sumtu subinde intueri liceat, contentus hac sorte sit *Codrux*, qui *Cræsus* esse nequit. In hujus porro communionem tu pariter non nihil ut venias, ego selectiores Numos, omissis proletariis tuis, in has Tabulas meas congeffi.

PU-

PUBL. Numi tui noni consimili imagine, *Jovis* videlicet stantis, totoque nisu fulmen intorquentis, plures teneo Numos, cum epigraphe: JOVI FULGERATORI, aut FULGURATORI. Hic porro typum longe excellentiorem, & singularem reddunt septem Stellæ circa eum fulgentes, cum titulo: JOVI DEFENSORI SALUTIS AUG. *usti.* **TULL.** *Commodi* hic est Numus apud *Monifoconium* Tab. XI. n. 9. qui addit, Septem Planetas hic sibi expressos videri. *Argelatus* hæc Sydera vocat *septem triones*, vulgari nomine *Plejades* appellata, Stellas perlucidas in Signo Tauri, sed nimborum feraces mense Aprili: quapropter etiam *Vergilia* dicuntur, cum verno tempore oriantur. Sed in hoc Numo sibi quid velint, ægre tibi dixerim: nisi Cl. *Harduini* sententiam de alio quopiam consimili Numo græco probare, & applicare huc etiam velles. Cujus ego tibi suavis non sum.

Pinxit ille Tab. III. n. 21. Numum Æris magni, cujus Adversa *Titi* caput habet laureatum, cum titulo: ΑΥΤΟ. ΤΙΤΩ: i. e. *Imperatori Tito.* In Aversa stat Jupiter, ut nostro in Numo fulmen intorquens, stellisque septem circumdatus, cum epigraphe: ΖΕΥΣ ΚΡΗΤΑΓΕΝΗΣ: quod exponebatur: *Jupiter Cretæ genitus.* Ridet ipse, inquit: Iconem Jovis hic apparentis eum Cretæ genitum nihilomagi, quam apud Antipodas, denotare: &, si sic intelligendum foret *κρητη*, non *κρηταγένης*, fuisse scribendum. Præterea Jovem frequentius in aliis, quam in Cretensium Numis, exhiberi, & ibi quidem sedentem. Resolvit ergo epigraphen hoc modo: ΖΕΥΣ Κ. αττανησας Ρ. αματων Η. γεμονα Τ. ιταν Α. νδρωπων Γ. ενει ΕΝ. εμειν ο' γδοον Σ. ελας: h. e. *Juppiter constituens Romanorum Rectorem Titum Humano Generi dedit Octavum Lumen, vel Sidus.* Quid mirabilius hoc somnio, vere nocturno, non ad Lunæ, sed Octavi Sideris fulgorem. Quænam, obsecro, analogia Jovis irati, & fulmen intorquentis, cum Rectore Cæli tranquillo qui novo Monarchæ Tito Imperium committat? Hanc ego figuram rectius certe ad Antipodas damnem,

Eruditissimus D. *Liebe* protulit alium Numum argenteum, & magnum, hinc cum Augusti Capite radiato, ac epigraphe: ΘΙΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΚΡΗΤΩΝ ΕΠΙ ΚΟΡΝΗΛΙΟΥ: h. e. *Divus Augustus Cretensium sub Cornelio.* Inde cum capite Jovis barbato, fascia cincto, sub quo fulmen, ac titulo: ΙΕΡΑ ΒΟΥΤΗ ΙΤΑΝΙ, αν ΚΡΗΤΑΓΕΝΗΣ.

X.
TAB. IV.
N. IX.

XI.
In Plin. I.
col. 260.

XII.
Goth.
Num. p.
364

i. e.

i. e. *Sanctum Concilium Itanensium Critagenes* : nempe *Jupiteri Cretae genitus*. Nullus hic *Tito*, nullusque *Octavo Sideri Harduiniano* locus : Numus interim certissime *Cretenfis*, cujas & *Jupiter* in eo conspicuus.

XIII.
TAB. IV.
N. X. &
XI.

Tab. XI.
n. 12 &
13.
De Benefic. L. IV.
c. 7.

PUBL. Numi decimus, atque undecimus, nova *Jovis* elogia produnt. Stat in priori nudus, hastam dextra, sinistra fulmen gestans, cum epigraphe : *JOVI STATORI*. In altero reclini Sellæ semivestitus insidet, dextra protensa parvam victoriam ostentans, laeva sustinens hastam. Additur : *JUPITER VICTOR*. Puto, hic omnia plana, si nossem, quorum Imperatorum essent hi Numi. *TULL.* Ambos reddidit *Cl. Montfocornius* : primum *Gordiani Pii*, alterum *Vitellii*. Prioris illustrationi servit *Senecæ* sententia. „ *Jovem Statorem* recte dices : qui non, ut Historici tradiderunt, ex eo, quod post Votum susceptum „ *Acies Romanorum fugientium* stetit : sed, quod stent ejus bene, „ *nescio omnia, Stator Stabilitorque* est. „ Haud absimiliter, quod omnia *vinceret*, etiam *Victor* prædicabatur.

XIV.

Hist. Natur. L. II.
Sect. 54.

Cæterum Lexico parvulo sufficerent singula unius *Jovis* Nomina, & Elogia, quæ eidem a locis diversis, ubi alia semper aliaque imagine colebatur, vel a Beneficiis jam impensis, aut posthac ad præces, & Vota supplicum impendendis, religiosa superstitione imposita fuere. Et si omnium horum causas, atque occasiones exponere liberet, *Jupiter* solus Volumina impleret. *Plinius*, Naturæ, fulminumque rationem attendens, eum *Statorem* dici aiebat, quia faber fulminum, super hominum capita stat, minasque intentat. *Tonantem* a tonitruis, quibus jam propius terret. *Ferretrium*, dum actu ferit. Addit vero, *Elicium* quoque appellatum esse, quando Augurum precibus tonitrua, & fulgura, in omem eliciebantur. *PUBL.* Curta supellex mea complures continet Numos, maxime, *Diocletiani*, ac proximorum Imperatorum, cum præconiis *Jovis Statoris*, *Victoris*, *Ultoris*, *Fulgeratoris*, *Tutoris*, *Conservatoris*, vulgares tamen, quod supra dixeram, omnes. *TULL.* Faciam, ut ne nimis abjecte tua de penu Numaria sentias : præter namque opinionem curiosa ingenia etiam de proletariis Numinis plane singulariter sentiunt. Exemplo uno rem disce.

XV.

In *Plin. I.* ait, in utriusque *Aversa* stare *Jovem pileatum*. nisi sit potius *laurea*.

reatus (quid enim pileus huic Deo?) vi tota fulmen intorquentem, & pede sinistro virum nudum proculcare, qui sit pedibus quasi serpentinis, manibusque protensis fulmen a se avertere nitatur. Epigraphe: JOVI FULGE - aut FULGURATORI. Quæ omnia tuis etiam in Numis contueor. Subdit porro, *Bogeri* opinione cufos fuisse hujus modi Numos adversum Christianos: ipse autem adversum Germanos, Trevirorum agris tunc infestos contendit signatos fuisse. Arguatur de inde ulterius, neque *Fulgerator*, neque *Fulgurator*, recte latine dici: & ideo, pro magna libertate sua distractis literis, has ipsas sententias meditatus est secum: JOVI FUL. guranti GER. manos A. rcenti T. reveris. O. sores R. omani I. mperii. Aut: JOVI FULGUR. anti A. rcenti T. reviris O. sores R. omani I. mperii. Infra positas literas P. R. legit: P. opuli R. ogatu.

Interim *Fulgurator* vox est *Ciceroniana*: „ Nonne (ait) intelligis, eadem uti posse & *Aruspices*, & *Fulguratores*, & interpres *Ostentorum* &c. „ quamvis hic de *Jove* non dicatur. Apud *Gruterum* autem ipse *Fulgerator* gemina Inscriptione appellatur. *Aram JOVI FULGERATORI dedicaverunt.* Item *DEO FULGERATORI Aram posuit.* Quid, quod hostes nequaquam fulgure sed fulmine sterni queant? quod si attendisset *Cl. Harduinus*, non *Fulguranti*, sed *Fulminanti* certe *Jovi* Germanorum depulsionem tribuere debuisset. Ego porro *Virum* sub ejus pedibus, neque ut *Germanum* intuendam putem, neque ut *Christianum*, quoniam *Christi* *Sacra* professi nunquam leguntur adversus fidei persecutores arma corripuisse. Quare per *Hirum* istum quoscunque Imperii hostes designatos existimo, subscriptasque literas P. R. legendas communi sententia *Eruditorum* putem: P. circussa R. oma, scil. *Moneta.*

PUBL. Mea opinione *Herculeus* labor instaret *Cl. Harduino*, si, quidquid in puritatem linguæ peccarunt *Lapides*, *Arcus*, *Numique Antiqui*, evolutis, nili magis a se implicatis ænigmatibus, & *logogryphis*, ipse diluere vellet. Mihi non minus legi posse videretur: JOVI FUL. minibus G. raviter E. jicienti, aut U. leiscanti R. omanis A. ugustis T. emere O. bñitentes R. obellos I. mperii. *TULL.* Sic utique tibi *Literæ*, & *Imagines* haud plane inepte

XVI.

De Divinitat.

L. II.

Pag. 21.
n. 3, & 4.

XVII.

faverent. Sed simplex *Jovi* elogium *Fulgeratoris*, cum Romanis, & supra laudatis Lapidibus, concedamus.

XVIII.

PUBL. Ultimus *Jovis* Numus, hujus Tabulae duodecimus, perelegans est, ac singularis. *TULL.* *Antoninum Pium* is redhibet ære maximo, & conturniato, ut vocant, i. e. cum amplo elatoque mar-

TAB. IV.
N. XII.

gine, imaginibus in medio humilioribus. *PUBL.* Adstat hic *Jupiter* cum levi palliolo, hastam gerens, ac fulmen. A dextris ejus uno genu curvatus flectit *Atlas*, gemitque sub orbe, quem portat: ex adverso est basis quadrata, cui *Aquila* insistit. Latere ejusdem anteriori videtur *Hercules*, elata clava sua, hostem subactam conficere, opere anaglypho expressus. Epigramme nil docet, nisi residuos *Antonini* titulos: TR. POT. XX. COS. IV. *Harduiniano* ingenio putem hic opus esse.

XIX.

Part. I.
Tab. XI.
n. 10.

TULL. Celeberr. *Montsoconius*, qui hunc Numum ex *Maffeo* excepit, nihil in eo docet, sed interrogat solummodo: An Gigantum pugna hic repræsentetur, an *Hercules*, quempiam trucidans? De *Atlante* quippe *Mauritanæ* Rege, *Astronomo* peritissimo, fabulati sunt Poëta, eundem Gigantum, qui cælum impetebant, corypheum fuisse, in pœnam vero a *Jove* condemnatum esse ad orbem perpetuo suis humeris gestandum. Quo in labore *Hercules* eundem aliquando, sed brevissimo tempore, & solummodo donec nonnihil respiraret, alleviaverit. Ego putem in hoc Numo omnia solum *Jovem* commendare, ut Rectorem orbis, ac Virtutem omnipotentem, Imperiorum quorumlibet colatorem, ac Tutatorem, Remuneratorem virtutum, scele-
rum Vindicem. Caterum in tot hastenus Numis exhibito tibi, & expoposito Patre hoc Deum, hominumque, non dubito, te eundem, quoties alias tibi occurrerit, nullo negotio agniturum
PUBL. Tuo beneficio sapiam, quod laude non intermoritura commendabo.



DIA-